QUÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Iovis 10. *Februarii.*

M. NICOLAO MORIN, Doctore Medico, Præside.

An in asthmate aquæ Borbonienses Arcimbaldicæ præstent Vichiensibus.

I.

PROCELLOSUS, ex impedito eundi redeundique commercio, æstuantis animæ in pulmonum euripis, motus, ἀπὸ τοῦ ἀσθμαίνειν, quod est anhelando spirare, ἆσθμα dicitur à Græcis, à Latinis anhelatio, difficilis nempe, crebra & anhelosa, cum vehementi totius pectoris agitatione, respiratio: eaque plerumque citra febrem; quale scilicet deprehendere est in iis, qui ex velociore cursu aut concitatiore exercitatione, ob præfocationis metum, ab incæpto desistere tandem coguntur. Hoc malum qùm in difficultate spirandi consistat; atque adeò partium, quæ respirationi inserviunt, in suo officio deficientium impedimenta consequatur, varium utique & multiplex, pro locorum affectorum varietate, existit; aliudque ad pulmonum aliud ad organorum, quæ thoracem movent, vitia pertinet: tertium ex communi & reciprocâ utrarumque partium εἰς κακὸν συντηρμωείᾳ emergit. Hìnc triplex asthmatis species: merè pneumonici: merè convulsivi & mixti: variat quoque hic morbus; quod recens sit, aut inveteratus: ægri culpâ, aut hæreditario jure contractus, vagus aut periodicus &c.

II.

ASTHMA merè pneumonicum censetur, qùm cæteris instrumentis respirationis opus ritè peragentibus, solus pulmo hæret, & suas ipsis, ut debet, non commodat operas: proxima illius causa, in angustiâ bronchiorum versatur: seu potiùs in usu aucto propter angustiam bronchiorum: sivè illa στενοχωρία ex obstructione; sive ex compressione nascatur. Ubi enim vitalis aura foris intùs commeans, ad tubulos hosce seu obstructos, seu compressos, offendit; ibique ab accensis in cordis foco fuliginibus, & intùs foras viam affectantibus, repulsam patitur:

tunc qùm non par fit, per meatuum impedimenta, necessitati commoditas ad pleniorem, pro usu aucto, aeris εἰσπνοὴν, respirationis organa vires suas agglomerant; & nixibus creberrimè repetitis, quod magnitudini & proportioni debitæ deest, frequentiâ & velocitate compensant. Hinc asthmatica, difficilis nempe densa & anhelosa respiratio. Ingressuro & exgressuro aeri fores minùs patent: quià vel obstruuntur, vel comprimuntur ductus, quos permeat: obstruuntur autem hi meatus: vel ob repentinum & affatim factum serosæ colluviei, aut à capite, quod est ratius; aut à toto corpore, quod frequentius, per arteriam pulmonarem in ipsos decubitum: vel ob tacitam & occultam crassorum & viscidorum humorum in ipsis collectionem, vel crudum tuberculum clàm & latentèr adnatum: vel denique quod tophacea quædam in iisdem materia, calculorum aut grandinis specie, concrescat: comprimuntur verò illi tubuli quoties ab illis iisdem causis, sed arteriæ aut venæ pneumonicæ ductibus insidentibus, aut adhærescentibus; aggravantur. Asthma merè convulsivum à meris fibrarum notricium spasmis excitatur; & partium ferè omnium respirationis muneri obeundo addictarum, quarum modò hæc, modò illa vel alia in vitio est, symptoma existit: fibrarum nempe vasorum omnium pneumaticorum, diaphragmatis, musculorum pectoris, nervorum pulmonibus insertorum, nec non originum eorumdem nervorum intra ipsum cerebrum consitarum: ejus causa fermentum quoddam peculiari modo spiritibus animalibus infensum, quod aut in ipsis fibris muscularibus, aut in ramis & propaginibus nerveis, aut denique circa nervorum origines, nidulatur; paroxysmos autem asthmaticos ciet, quoties ejus, ubi fervet, afflatu tanquàm æstro quodam perciti spiritus, partium illarum incolæ, tumultuantur & in motus irregulares aguntur: tunc enim organorum spirabilium fibras, tùm nerveas tùm motrices, inordinatè & tumultuariò subeuntes, solemnes & æquabiles συστολῶν & διαστολῶν vices interturbant; adeòque respirationis pensum aut sufflaminantes aut pervertentes, asthmaticos insultus inferunt. Asthma denique mixtum contingit, quoties & bronchiorum pulmonis infarctus aut compressio, & fibrarum motricium spasmodica affectio κυκλόθεν εἰς κακὸν, mutuas scilicet in hanc perniciem & sibi tradunt operas: cujusmodi originem asthma quodvis immane & inveteratum habere solet.

III.

MISERA & miseranda est asthmaticorum conditio, in quibus ipsiusmet vitæ penetralia, intestinis hisce motibus, non aliter quàm terra solet, concutiuntur adeò & convelluntur, ut nihil minùs quàm λύσις τῶν δεσμῶν τῆς φύσεως totius scilicet animalis machinæ dissolutio & ruina impendere videatur. Celer itaque & sedula esse debet medici opera, ut dùm paroxysmus viget, æger à presenti hoc discrimine asseratur: dùm verò in suo fomite sopitus silet, προκάταρξις νοσερὴ, morbosus scilicet apparatus tollatur: qùm igitur turbinum plena hæc in partes

ſpiritales tempeſtas ingruat, quoties congeſtæ in pulmonibus ſordes, vel congenito fermento, vel cauſarum exteriorum vi, commoventur & turgeſcunt; vel exundans ex aliis fontibus diluvies confeſtìm & affatìm in ipſos irruit, aut denique reſpirationis organa ſpaſmodicis motibus, hùc & illuc diſtrahuntur; nullum potentius quàm in ſanguinis detractione, pro modulo virium, factâ & repetitâ, auxilium eſt: divini quippe hujus remedii potentiâ, tanquàm Neptuni tridente, motorum humorum fluctus componentur, confluentium ad pulmones ſiſtetur impetus, & ſedato ſpirituum orgaſmo, convulſivi motus compeſcentur. Eodem tempore ne viſcerum inferiorum ὄγκος præcordia comprimendo, ſtrungulationem augeat; liquanda eſt & ſubducenda alvus frequentibus enematis: interdùm etiàm, ſed tempeſtivè, movenda convenientibus catharticis, quibus ſcilicet extenuatum corpus incipiat ſpiritum trahere commodiùs; interìm exhibenda quæ tracheæ ductus aperiant, lubricent & expectorationem promoveant, ſumenda nimirùm jejuno potui mulſa, vel aqua, cum quâ, aut hyſſopus cocta, vel contrita capparis radix fit: nec prætermittenda quæ ſanguinis exæſtuantis ſerum & alia recrementa per urinas & ſudores foras amandant; quo nomine celebris & frequentis ſunt uſûs, pulveres teſtacei, millepedum præparata; tum ſubſtantiæ illæ tenuiſſimæ, quas ob partium tenuitatem & facilem aſcenſum, ſpiritus & ſales volatiles vocant ſpagyrici. Atque hæ ſunt auxiliatrices medicorum ſeu potiùs deorum manus, quarum beneficio miſeri aſthmatici, vix non ad orcum damnati, etſi non Lucis, ſaltèm aeris uſûrâ carentes, ad vitales auras revocantur: verùm brevioris ævi eſſet hæc fœlicitas, nec ſolido gaudio bearet ægrotantem, niſi evulſo radicitùs fomite, de ejus recurſu ſecurus redderetur: alii aliter optatum hunc finem conſectantur: verùm citò tutò & jucundè medebitur, qui thermarum fotu & potu aſthmaticam diatheſim eluet.

IV.

GALLIA proprio fundo dives, nec alienæ cujuspiam opis indiga, ut cæteris rebus ad vitam & vitæ beatioris uſum, neceſſariis abundat; ſic aquarum quoque ſponte calentium, ſeu thermarum ferax eſt; quæ variis è locis ſcaturientes, humanæ caducitati, morbificis impreſſionibus undiquè perviæ, fomenta & adminicula, divite & perenni alveo ſuppeditant: verùm eadem omnium non eſt laus, nec par ad morbos profligandos momentum. Certant hiſce temporibus de primatu, Borbonienſes Arcembaldicæ & Vichienſes; & ut ancipiti plerumque marte & aleâ decernunt: has hoc anno, illas alio, præſtantiores eſſe, aura popularis prædicat, perſonarum ſcilicet, quæ alterutras magis aut minùs frequentant, ſplendore, potius quàm curationum, præſertìm ſi in animâ vili aut plebeiâ fiant, pondere, nominis ſplendorem & commendationem conferente; ſed vanum, falſum & fallax ſemper & ubique vulgi judicium: tutum quod ex ipſarummet aquarum analyſi & principiorum, ex quibus conſtant, æſtimatione profertur. Nullibi gentium medicata-

De la grille de fer : puits rond & communement la grille de bois : puits quarré ou Fontaine des Capucins : du gros boulet, ou du boulet quarré : des deux petits boulets.

rum ſcaturiginum uberior copia, quam in Vichienſi agro: Frigidas fundit & calidas: nec deſunt inter utraſque mediæ. calidarum quinque diſtincti fontes: cratis ferreæ, ligneæ, globi quadrati ſeu magni; & duorum parvulorum globulorum: fontes cratis ligneæ fundunt aquam clariſſimam aciditatis cujuſdam & amaritudinis participem, ſulphur redolentem. nephriticis creditur infenſa; ſive quod multas arenulas, quæ tandem in Lapillos concreſcunt, devehat; ſive plurimo abundet ſale, quo ad potum ineptior evadit: quadrati verò & duorum parvorum globulorum aqua, calore non ità exuberat, imò tepida, aciditate majori prædita, cæterùm non diſcrepans ab aliis. minerale, quod in ipſis præpollet, eſt ſal vitriolicum, acre & lixivioſum; niſi malis dicere duplici has ſale, vitriolico ſcilicet & lexivioſo ſimul mixtis, perfuſas eſſe, qualis evaderet aqua communis, ſi tartarum vitriolatum pari copiâ in ipſa diſſolveretur. Salem vitriolicum deprehendes, ſi gallas vel folia quercina incoxeris, eamdem enim inde, aut non multùm abſimilem, ac ſi vitriolum commune adhibuiſſes, elicies tincturam. Acris verò & lexivioſi indicium eſt efferveſcentia & ebullitio, quæ ſequitur ex aceti aut cujuſvis alius acidi affuſione, quæ non multùm diſcrepat ab eâ, quæ emicat, quandò acida cum alcalibus vulgò dictis miſcentur, ſpargitque fumum ingratiſſimo odore nares ferientem: utroque hoc ſale licet acuantur, ſtomacho nihilominus & hypochondriis graves ſunt; quod quidem vitii ipſis ineſt, quoniam ingentem tartareæ cujuſdam & facilè lapideſcentis materiæ copiam convehunt; ut probant locorum ad quæ allabuntur, incruſtamenta, quæ ſaburræ illius collectione & concretione, intra paucos dies, ad altitudinem duorum tranſverſorum digitorum, excreſcunt. Borbonienſes Arcembaldicæ ex tribus exiliunt puteis, è quibus per plures tubulos, in diverſa balnea derivantur: inter potandum labra non nihil uſtulant, nullo nihilominùs caloris ſenſu in palato ſuperſtite; omni extraneo ſapore & odore carent; ſi tamen fridigæ hauriantur minùs ſunt gratæ: ſi farinam cùm iis ſubigas, panem elegantem conficies: quamvis limpidiſſimæ appareant, ſi reſidere permittas, cremor quidam unctuoſus ſupernatat, & in fundo vaſorum, quibus aſſervantur, parum limi craſſiuſculi ſubſidet: earum elementa, ſi factâ evaporatione, explores; nitrum tantummodo reperies, & quidem eâ proportione, ut ex librâ unâ, viginti duo aut tria ejus grana cum tantillo terræ mixta, extrahas: hoc nitrum ſi ſupra prunas ardentes projicias, inſtar nitri communis, crepitabit: ſi à fæce ſuâ exuas & cum ſyrupo violaceo miſceas, gratè virideſcet ſyrupus; ſi acidum aliquod ſuperaffundas, rubeſcet: ſalis vitriolici expertes eſſe credas, ſi cùm gallis aut foliis quercinis ad ignem committas, nec ullam inde in colore mutationem fieri animadvertas: Sulphur verò ſubeſſe fateberis, ſi præparationis magiſterii ſulphuris memor, tantùm tartari, quantùm opus eſt, ut occultum ſulphur ſolvatur, iiſdem admiſceas: factâ enim per viginti quatuor horas digeſtione, atque inde levi ebullitione, coloris citrini evadent: ſi deinde acidum quid affundas, lacteſcent

qualia phænomena observantur; quandò sulphur commune oleo tartari per deliquium facto dissolvitur: atque ex hâc aquarum Vichiensium & Atcembaldicarum ἀναστοιχειώσι utræ utris asthmaticis præstent, inde colligat integer judex.

V.

FÆTUM in ovo necabit, strangulans scilicet hoc malum in suis cunis præfocabit Medicus, qui pulmonum vitia emendaverit, & succrescentia sensìm ni nervis ad recursuros paroxysmos, fermenta discutiet. Peccant pulmones ob meatuum suorum angustiam ex obstructione vel compressione ortam, propter clandestinam in ipsis crassorum & viscidorum succorum congestionem; vel crudum tuberculum adnatum, vel quod grandinosum quid aut calculosum concreverit. Ut eruptura ex his fomitibus damna prævertantur, crassi humores incidentibus attenuandi: viscidi abstergentibus detergendi: ac demum utrique convenientibus purgantibus eliminandi. Crudum tuberculum modò Medici juris sit, attenuantibus & exsiccantibus, absumendum: calculosæ denique & grandinosæ concretiones, propriis solventibus amoliendæ. Peccat nervosum systema, propterea quod pravo quodam & spiritibus peculiari modo infenso miasmate nificitur, quod ubi copiâ turgescens, suo vel alieno impetu commovetur, spiritus & partes ad quas feruntur, in motus inordiuatos & respirationis legibus planè contrarios, impellit. Impendentes ex domestico illo hoste turpedies præcavebis, si spiritus diureticis & sudorificis, ab hâc sarcinâ expedies; effrænes eorum motus, sulphureorum usu, gratâ quâdam veluti compede devincies; necnon rigidiusculam adeoque ad numeros naturæ flecti indocilem nervorum substantiam, emollies. Nusquàm locupletior nusquàm pauperior, quàm in sanando hoc affectu Medicina. Locupletem credas, si immensam medicamentorum, quæ præstant apud auctores, sylvam oculis & animo perlustres: pauperem & egenam dixeris, si asthmatico assidens, & numerosæ illius supellectilis periculum faciens, parem promissis eventum non comperias: deficiunt quippe ex eo, omnia hæc remedia, quod omnes asthmatis causas, singula non attingant. Palmarium censetur jus galli decrepiti cum iis, quæ dicata sunt pulmonibus, cocti; quod scilicet ob nitrosas & abstergendi vi præditas partes, quibus abundat, asthmaticæ materiæ tùm præparationi, tùm expectorationi, non parum prosit. Verùm utut hæc duo præstare possit, sanè qùm ventrem non solvat, primarium fomitem, ibi plerumque delitescentem, non tollet, quìn & illud metuendum, ne interiores alvinæ regionis recessus permeando, cæspitantis illic impuritatis aliquid deterat, & affectis pulmonibus inter circulandum affigat; eodem lapillo notabis tùm millepedum præparata tùm spiritus & sales volatiles: quæ omnia, qùm nulla ipsis insit vis purgatrix, antecedentem causam intactam relinqunt & conjunctam; quod diureticâ & diaphoreticâ facultate, partes ejus tenuiores absu-

mant, incrassando, malum exasperant & curatu difficilius reddunt: nec diffusæ magis sunt energiæ quæcumque bechicorum nomine, commendantur, ut ecclegmata, hydromelitis species & alia decocta pectoralia: hæc enim uni pectori addicta, longiùs dissitas morbi radices, non evellunt: at expeditior forsàn per purgationes crebrò repetitas, via? verùm qùm, eisdem in partibus, non siti sint omnes morbi foci, nec ejusdem naturæ & indolis, quæ in iis collecta est materia, multiplex quoque sit oportet remedii, quod usurpatur, virtus; & quæ in universos illos focos, quô singulis prosit, diffundatur. At enim si non singula seorsìm sanent, sanabit omnium ritè & suis temporibus dispensatorum syndrome & symmachia; sit ita sanè, quamvis tot medicamentorùm non raró inter se pugnantium farrago semper naturæ molesta sit; nihilominùs tamen citiùs tutiùs & jucundiùs valetudini ægrotantis consules, si unicum remedium, sed quod cætera potestate contineat, tres scilicet corporis regiones, propriâ cuique & naturæ decretis præscriptà evacuatione, primam nempe per secessum; secundam, per urinas & tertiam, per sudores, ab omni, quâ sordere possunt, immunditiâ liberet, quales sunt thermæ, seu aquæ spontè calentes, adhibeas. Cave autem ne spretis Borboniensibus, popularis te ventus incautum & transversum ad vichienses abripiat: his equidem suæ sunt dotes: nec omninò de nihilo est, quod earum laudibus, pauperum tabernæ, regumque turres, hisce temporibus, ubique personent: in omnibus enim morbis, qui ventris inferioris ditionis sunt, pendentque à contumace & altiùs impactâ hepatis, lienis & pancreatis obstructione, mirificos afferunt sanitatis fructus: hìc icterici, modò hepar non obduruerit, flavum colorem exuunt: hìc melancholici, liene, si non computruerit, ab atrabilariâ fæce expedito, mentem sanam in corpore sano adepti, sibi crux & medicorum flagellum esse desinunt: hìc cachectici, sanguine & spiritibus, intercepta, recluso carcere, stadia remetientibus, pristinam corporis cum nativo cutis colore, evexiam recuperant: hìc demum colicis & nephriticis doloribus obnoxii verum & perpetuum neponthe reperiunt? an verò tot curationum exemplis illustres, asthmaticam quoque diathesim delebunt? Nequaquàm: sive enim hæc in propaginibus nerveis fibrisque motricibus, unde asthmaconvulsivum: sive in pulmonum tabulis, unde pneumonicum: sive in utrisque illis partibus, unde mixtum, resideat & foveatur; aquæ vichienses inutiles sunt aut vitiosæ: inutiles, quòd propter ingentem, quâ suburrantur, materiæ fæculentæ copiam, integris ad partes affectas viribus, vix deferri possint: vitiosæ, quod si fortè ad illas commeare valeant, is commeatus in ægrorum perniciem cedat: illùc siquidem advectæ sarcinam suam in proximos morbi focos deponent; unde in pulmonibus στενοχωρία major, & in nervis ac fibris muscularibus propensio ad spasmos proclivior: sed non solùm eo nomine asthmaticis sunt exitiosæ; sed etiam, quod vitriolico sale plus æquo

ſint imbutæ : quæcumque enim hoc ſale ſuprà modum acuuntur, præterquam quod aſthmaticis & thoracicis partibus, unde aſthma omne, bellum indixerunt ; tum impingendis altiùs humoribus potius quam diſſolvendis, à naturâ ſunt comparata. Aquæ Borbonienſes, præcipuè Arcimbaldicæ, nam Anſelmienſes impenſiùs calefaciunt & exſiccant, vichienſibus in juvando ſunt ſuperiores ; inferiores in nocendo ; vim agendi ſuperiorem ipſis tribuunt λεπτομέρεια ϗ ταχυπορεία : innoxiam καθαρότης : ut puræ ſunt nec ullâ extraneâ materiâ ſuffarcinatæ, partes, quas alluunt à ſordibus, quibus inquinantur, innoxiè expurgant : uihil metallicum nihil terrenum aut alius cujuſvis damnoſæ qualitatis particeps, unde graviorom ſub inde fætura morborum, poſt ſe relinquentes : ut tenuiores ſunt & meabiliores, citiùs & faciliùs penitiores viſcerum receſſus pervadunt, & ſi quas in anguſtias impegerint, valentiùs & commodiùs expediunt : triplici hâc prærogativâ donatæ, non ſolùm in aluinâ regione, in quâ tamen non minùs præſtant, quàm Vichienſes vim ſuam exerunt ; ſed eam quoque ad pectus, cerebrum, ipſaque corporis pomœria, habitum ſcilicet & artus latius diffundunt, ibi curationum miracula ecituræ : quot enim paralytici, inſtaurato, earum potu, balneo & factâ per impluvium, irrigatione, diſſolutorum nervorum tono, ſubalaria ſua fulcra lavacri poſtibus appenderunt : quot rheumaticis fluxionibus pedes & manus capti, ſolutis earumdem ope dolorificis hiſcè catenis, domum alacres & expediti rediere. Nec inferior ex earum uſu aſthmaticorum ſors: qùm enim ut lixivium, ex quo ſapo communis conflatur, totam ſuam vim trahant ex partibus ſalinis & ſulphureis in earum ſinu, ignis operâ ſolutis, & mutuò ſic contemperatis, ut ſalinæ ſulphureas acuant ; & ſulphureæ ſalinarum aculeos refrænent & emolliant ; puræ inſuper ſint & facile meabiles, adeòque totius corporis recrementa non abradendo ut Vichienſes, quæ ſale copioſiore & acriore ſaturantur, ſed abſque partium, ad quas appellunt, detrimento, diluendo ſcilicet & leniter detergendo, ut pote quarum ſales ſulphure oblinentur, per ſudores, urinas & inferiorem ventrem expellant ; pulmonum quoque & nervorum inquinamenta, integrâ & illabatâ eorum ſubſtantiâ, exhaurient, ſicque aſthmaticam παρασκευὴν citò tutò & jucunde obliterabunt.

Igitur in aſthmate aquæ Borbonienſes Arcimbaldicæ præſtant Vichienſibus.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Ludovicus Labbé.
M. Andreas Enguehard. Scholarum Profeſſor.
M. Franciſcus Girard rei herbariæ Profeſſor.
M. Joſephus Thomaſſeau.
M. Ludovicus Poirier Scholarum Profeſſor.
M. Petrus Bonnet Pharmaciæ Profeſſor.
M. Dionyſius Dodart.
M. Dionyſius Puylon.
M. Ioannes-Baptiſta de Reveloiſ.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCUS FOUCAULT Genabenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1684.